

Johann Cothmann Johannes Petri Forsaeus

Disputatio ... De Praedestinatione ...

**Disputatio Sexta : Qua Argumenta Adversariorum possibilitati ... sanctorum
opposita imprimis Wendelini illa fideliter in unum fasciculum colligentis
examinantur & a corruptelis eorundem vindicantur : ... 17. Iun.**


Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746180489>

Band (Druck) Freier  Zugang



Joh. Cöthmann 1d
R. U. theol. 1643.



DISPUTATIO SEXTA
DE
PRÆDESTINATIONE,

Qua
Argumenta Adversariorum possibili-
tati *diversas* sanctorum opposita imprimis Wen-
delini illa fideliter in unum fasciculum colligentis
examinantur & à corruptelis eorundem vindicantur.

Quam
Auxiliante DEO
Præside
JOHANNE COTHMANNO,
S. S. Theologiæ Doctore & Professore.
Publicè habebit
JOHANNES PETRI FORSÆUS,
Verm-Suecus.

In Auditorio Majori 5. Junij



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi.
ANNO Æræ Christianæ M. DC. XLIII.

FRANZESINIA
TIONE

Argumentum Adv. in ...
W. ...
de ...
...



JOHANNES ...
...

ROSTOCK ...
...

*Spiritus excutitur dominante libidine Carnis,
Hunc retinet pietas, intemerata fides;
Dogma quod hoc sacrum, defendis grator amice
In studiis porro prospera quæq; precans.*

*Ita inter occupationes Doctissimo
Dn. Respondenti gratulabatur
Præses.*

*In Disputationem de Prædestinatione DEI,
eruditissimam*

*Præstantissimi ac Doctissimi Juvenis
JOANNIS PETRI FORSÆI,
Wermelandiâ-Sveci.*

*COTHMANNI clari fretus munimine tuto
Tu præclarorum pulpita celsa petis.
Grator ego pergas studiô coluisse Minervam,
Et crebro doctis prælia docta pares,
Auram sacrati studiis spirare Favoni,
Auxiliumq; suum mittere Jova velit!*

*Scripti favoris & honoris ergo
MLAURENTIUS ABODOCK,
Eloquen. Profefs. & p.t. Philof.
facult. Decanus.*

Dam

Dum FORSÆ fidem COTHMANNO Præside nostrâ
Defendis, FOVAE quam sacra jura docent:
Dum Wendelini FORSÆ sophismata vertis,
Et solvis falsos, queis sapit ille, logos,
Dulce solum patriæ gaudet te cive; ROSETUM
Applaudit; jungo vota precesq; meas,
Ut bene succedat studium, & sic vivere pergas,
Sis ut in electis post tua fata choris.

Gratul. accineb. Amico

M. DANIEL SIMONIUS,
Nöribergâ-March.

XX
Indolis Egregiæ, Pietatis & artis honorem,
Nostratibi quondam, Musa SALANA stitit.
Rostochii laudem, JANNES nunc quæris eandem
Sedulus, ingenii dexteritate tui,
Præside COTHMANNO, dū monstres ordine nobis,
Sacrilegæ turbæ, Wendeliiq; Strophas,
Impia quod Domino poterit gens displicuisse,
Mens pia sed tantum complacuisse DEO.
Dotibus ingenii, similes ostende labores,
Nec tuus in studiis ardor inanis erit.

Gratulab. attexebat

NICOLAUS RUDBECKIUS,
Arosiâ Succus.

OSOS OSOS

THESES I.

Postquam Disputationibus superioribus, partim probatis, ex codice sacro desumptis exemplis; partim verò clarissimis Sacrae Scripturae locis, thesis orthodoxa, de sanctorum per peccata apostasiâ κατὰ κενωτικῶς proposita fuit, consequens nunc est ἀνασκευῆν subjungere. Non autem fieri posse, ut verè sancti ac renati, seu fide justificante præditi; nec totaliter, nec finaliter à fide deficiant, & gratiâ Dei excidant *Wend. cap. 27. p. 160.* ex professo confirmare annititur. Explicat autem se ipsum, sub capitis initium. Hoc modò: Sensus inquit orthodoxæ assertionis nostræ hic est: Fide justificante præditi, & proinde verè justificati & sanctificati, justitiam & sanctitatem suam ita nunquã deserunt, ut ex fidelibus prorsus infideles, ex justificatis non justificati, ex sanctificatis non sanctificati fiant, sive totaliter, sive finaliter. Quia vi decreti & auxilii divini præsentissimi, pericula omnia avertentis, & voluntates efficacissimè regentis, hoc modo eosdem, nec posse fidem & justitiam deserere.

2. Assertionis hujus demonstrationem annectit in subsequenti-
bus, & triginta quinq; Scripturae dictis *cap. 27.* coacervatis, impos-
sibilitatem ἀποσετασῆς sanctorum stabilire laborat. Nos illum
κατὰ πρόα sequemur Primò ergò in aciem producit locum *Can. 8.*
v. 7. aqua multæ non possunt extinguere caritatem. Unde sic ar-
guit *p. 161.* Quod nullis calamitatibus, nullisq; internis vel exter-
nis machinis exturbari & obrui potest, ejus jacturam totalem, aut
finalem sancti non possunt facere. At qui charitas vera minimeq;
fucata, quæ absq; fide & sanctitate nunquam est, nullis calamitati-
bus, nullisq; internis vel externis machinis exturbari, & obrui po-
test. Ergò Respond. 1. appellatione aquæ metaphoricè sumptã
intelligi tribulationes & calamitates testis est Scriptura *Pf. 66. v. 12.*
Pfal. 124. v. 4. 5. & passim, proinde nihil aliud ex hoc loco infer-

T

tur:

tur: quàm calamitates, hominibus non consentientibus, sed Diabolo reluctantibus, charitatem non posse extinguere. Hinc verò non sequitur: Ergò nullo modo charitas in homine regenito potest extingui, licet hominis accedat consensus. V. G. dicit Johannes 1. Joh. 3. v. 10. Qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo. At David adulter & homicida, non dilexit fratrem suum. Ergò non fuit ex Deo, & consequenter in eo extincta fuit ad tempus charitas, cum erga proximum, tum erga ipsum Deum 1. Joh. 4. v. 20. vel hoc modo: nullus voluntarius homicida, habet charitatē proximi. At David fuit voluntarius homicida, ut suo loco satis fuit probatum. Ergò non habet charitatem proximi, potest igitur accedente voluntate humana, Diabolo auscultante charitas amitti. Idq; non negat Wendelinus dum inquit: non negamus charitatem amitti posse, si quis velit eam exuere, subjungit verò: ex vi decreti divini & presentis divini auxilii, illud esse impossibile. Sicuti fit *adversari* electos posse damnari. Verum de diversis diversimodè judicandum. Scriptura non meminit ejusmodi decreti divini, nec exprimit talem auxilii divini presentiam, ut licet homo Diabolo suggerenti morem gerat, & peccatis sese voluerit, & sciens, volens ac malitiosè peccet, tamen censeatur esse in Dei gratiâ, cum e contra verum sit: Spiritus executitur dominante cupidine carnis 1. Thes. 5. v. 19. Quod si Spiritus, utiq; & fructus spiritus, qui est charitas. Gal. 5. v. 22. Et si charitas nullo modo posset amitti, quomodo Christus inquit Matth. 24. v. 12. charitas circa extremum, judicii ultimi diem, *ψυχῶνται* refrigescet, cujus rei exemplum proponit Paulus 2. Tim. 1. v. 15. c. 4. v. 10. Alia autem quaestio est, cum quaeritur: an electi possint damnari: illud ob scientiâ divinâ certitudinem & infallibilitatem, fieri posse negamus Matth. 24. v. 24. Licet ad tempus, gratiâ Dei excidere queant Heb. 12. v. 15.

3. Regerit Wendelin. p. 278. non omnem errorem, totalem à Deo esse discessionem: cum fideles quandoq; mundus abripiat, quos tamen penitus à Dei manibus non eripiat. Respond. mundana qui rebus praefert divinis, ille utiq; quamdiu talis est & manet, totaliter ad tempus à D E O discedit, propter immediatam D E I & mundi

mundi oppositionem vide *Job. 15. v. 18. 19* carnales enim & mundana illa concupiscentia, militat adversus animam *1. Pet. 2. v. 11.* Et qui vult amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur *Jac. 4. v. 4.* Hinc sollicitè Apostoli auditores adhortantur ne sese τῷ αἰῶνι τῷ ἐσθῆ huic seculo, cum Dema conforment *Rom. 12. v. 2.* neq; mundum diligant *1. Job. 2. v. 15.* quia opera ejus mala sint *Job. 7. v. 7.* imò mundus totus in malo sit positus *1. Job. 5. v. 19.*

4. Ex hæcenus ergò dictis constat hominem, sua se voluntate à Deo avertere, & charitatem semel possessam, peccatis voluntariis amittere posse. Observandum tamen. 2. in loco allegato *Cant. 8. v. 7.* sermonem esse, non præcisè de hoc vel illo individuo, sed de Christi Sponsa, sive Ecclesia, quæ quia tota non deficit (Christus enim Sponsus semper habet spirituales Sponsam *Apoc. 22. v. 17.* & Christus Ecclesiæ caput, sua semper habet membra *Rom. 12. v. 5. Eph. 5. v. 23.*) ideo Charitas sponsæ, & membrorum Christi, id est totius Ecclesiæ non extinguitur; licet hic vel ille in individuo, vel ad tempus, vel etiam finaliter, suis obsequens cupiditatibus, & neglecto Spir. S. magisterio deficiat. Conteratur Sutliv. contra Bellar de *Eccles. p. 116.* qui hanc veritatem nobiscum agnoscit.

5. 2. Ex *Psal. 1. v. 3.* ita colligit: Qui sunt instar arboris plantatæ ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cujus folia non decidunt: ii certè à caritate & fide totaliter & finaliter non excidunt. At verè fideles sunt instar arboris &c. Ergò. Respond. ipsa textus ἀνοψία, arguit sermonem in eo esse de justo stante seu florente, qui in consilio improborum non ambulat, & via peccatorum non insistit, ac in concessu derisorum non desidet, cujus delectatio est in lege Jehovæ, & qui delectatur de lege illius מְלִיץ לַיְהוָה interdum ac noctu, qui dicente in h. l. Calvino assidue in Lege proficere studet. De tali justo rectissime dicitur, quòd fructum ferat in tempore suo, & folia ejus non decidere. Consideremus verò hominem antea justum, sed justitiam suam priorem deserentem. v. G. Salomonem. Nunquid ille voluntarius Idololatra, videantur quæ *p. 68. 69. 70. 71. 72.* hac de re dicta sunt, similis fuit arbori plantatæ ad rivos aquarum, quæ fructum suum

ediderit in tempore suo? Nunquid Ecclesia Judaica vitis illa generosa, à Deo ipso plantata, mutata est in degeneres palmites vitis alienæ? *Jer. 2. v. 21* ad quem locum ipse Wendelin. *p. 265.* fatetur, electos posse dici in vitem alienam degenerare, quod uvarum loco labruscas sæpenuerò proferant, cogitur ergò ipse agnoscere datam distinctionem, inter justum florentem & fructum suum, ferentem: ac justum à sanctitatis studio sese devolventem, ac in vitem alienam degenerantem, ac Uvarum loco labruscas conf. *Esa. 5. v. 2.* proferentem, esse Scripturæ conformem. Illud considerans *August. in Psal. 1.* mavult eundem de Domino nostro Jesu Christo accipere. Quia sine dubio consideravit, hanc hominis justii ideam, in nullo alio melius exprimi, quam in dominico, ut loquitur, homine. Quam explicationem suo loco relictam, non defendimus. Interim Wendelinum nihil sententiæ suæ subsidii ex hoc ipso Psalmo petere posse, propter justii florentis, ac in palmitem alienam degenerantis confusionem, concludimus.

6. Sed urgetur *p. 163.* contra Psaltem negari perseverantiam justorum, quippe qui justum arbore ad rivos aquarum plantatæ conferat, quoad viroris & fertilitatis perpetuitatem. Justos igitur perpetuò virere & fertiles esse, ut qui ad cœlestes ac spirituales aquas vivi fontis Christi sint plantati. Et subjungit Wend. dicens: Sententia hæc cui displicet, Davidi oportet contradicat, hunc in modum: Justi non sunt perpetuò virides & fertiles. Respond. non contradicit Davidi, quicumq; justum degenerantem, non perpetuò viridem & fertilem esse ait. Quænam enim hæc est oppositio: Justus florens, dicente Davide semper viret & fertilis est: Justus à justitia sua sese avertens & labruscas proferens, & in palmites infrugiferos degeneres conversus, non semper viret, sed quandoq; sterilefcit, consulatur *Kecker. Lib. 2. Syst. Log. p. 372.* & apparebit nullam hic esse oppositionem.

7. 3. *Ex Psalm. 37. v. 24.* ita arguit: Qui nunquam deijcitur, propterea quòd Jehovah sustentet manum ejus: is certè vel totaliter vel finaliter à Deo non recedit. At justus nunquam deijcitur, propterea quòd Jehova manum sustentet. Ergò &c. Respond. Locus allegatus vel agit de externis fortunæ casibus, de quibus ipse
August.

August. locum hunc exponit *Tom. 8. p. 341.* & Piscator in *Analyf.* quos ipse Wendelin. non excludit, & nihil contra nos hac explanatione concluditur. Vel intelligitur lapsus internus in peccatum. Quia verò peccata sunt in æqualia, alia enim aliis enormiora. Peccata respectu personæ committentis non naturæ peccati, vel sunt venialia, vel mortalia. Si priora intelliguntur locus nos nō ferit. Si posteriora & de verè Electis sermo esset, nihil aliud inferretur, quam illos finaliter gratiâ Dei non excidere: ad tempus autem gratiam Dei eosdem amittere posse, in præcedentibus disputationibus exemplis ac Scripturæ dictis satis probatum est. Non ergo valet cōsequencia: justus sive electus, cum in peccatum aliquod gravissimū ceciderit, Deo manum supponente, rursus erigitur, ita ut in æternum nō projiciatur. Ergo ad tempus hic vel ille electus, secundum carnem vivens, & peccatis frænum laxans, totaliter gratia Dei non excidit. Hanc explanationem non improbat ipse Junius in *Notis* ad hunc locum, dum inquit: Justus dum cadit, non deicitur, ita ut dejectus maneat *2. Cor. 4. v. 9.* improbi contra in perpetuum dicuntur dejecti *Ezech. 32. v. 4.* Hæc Junius.

8. Regerit Wendelinus in renatos non cadere peccata, quæ pleno consensu perpetrantur, & addit hoc nos benè novisse. Respond. in præcedentibus ad nauscam usq; inculcatum, inter renatos quamdiu tales sunt & manent, & inter eosdem renascentiæ donum excutientes, accuratè distinguendum esse. In renatum qualem, non cadere peccatum pleno consensu commissum, cum Johanne *cap. 3. 1. Eph. 1. v. 9.* affirmamus. Eosdem verò carnis ductum sequentes, & cupiditatibus carnalibus obediētes, pleno consensu peccare, Davidis & Salomonis exemplis, solidè evictum *p. 62. & seqq.* Hinc Mollerus in *Psal.* hujus expositione fatetur, optimos quosq; pios *vinci* à pravis cupiditatibus, & à suâ infirmitate *superari ut cadant.* Quæ expositio nostræ favet sententiæ: Urget autem Wendelinus verbum Hebræum *למ* quod significet, non finalem tantum, sed & totam, & quidem hanc maximè abjectionem, quod ex aliis locis pateat, in quibus verbum hoc usurpetur. Respond. verbum hebræum Wendelino nil quicquam patrociniatur; illud enim licet notet aliquando projectionem totalem,

non talem semper finalem, ut Scripturæ collatio docet *Jer. 19. v. 13. Jon. 1. v. 15.* Sensus itaq; esset, electos Deo manum supponente, finaliter non proijci, sive prosterni aut abiici. Hinc verò nullà ratione sequitur eosdem, gratià Dei ad tempus ob peccata à quibus superantur & vincuntur gravissima, excidere non posse. Unde, Musculus in h. l. inquit: Justus etsi aliquando in tentationem & afflictionem ceciderit, non poterit perire, quia Dominus illi præsto est ope suà. Et ut videat Wendelin, nihil se subsidii ex allegato Psalms loco habere, consulat Calvinum, ita in Psalmum hunc scribentem: vulgò hic versus obrinuit locum proverbii: si quando justus delinquat, lapsus ejus non esse mortiferos, sed nihil hoc ad Davidis mentem, qui de piorum felicitate concionatur. Simplex ergò doctrina est, ubi Deus servos suos calamitatibus affligit, eos simul mitigare, ut non prorsus succumbant. Hæc Calvin. Et quamvis dicente Wendelin. patres hunc Psalms locum de internis casibus, hoc est peccatis exposuerint, quam explicatio nem nos omninò non improbamus, non tamen id eo sensu fecerunt, quem Wendelinus intendit. Fatetur enim Bernhardus allegato à Wend. loco in *cap. 17. in Cant.* Spiritum venire & iterum abire. It & redit Spiritus, inquit, sed non collidetur, quia Dominus *rursum* supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat. Quæ verba è Diametro adversariis repugnant.

9. 4. Ex *Psal. 111. v. 3.* ita arguit. Cujus justitia manet in seculum seculi ea nunquam deseritur. At justii justitia, manet in seculum seculi. Ergo. Respond. locum hunc de justo qua tali, perseveranter ita manente, intelligendum Ezechiel testatur *e. 18. v. 24. 26.* ubi de justo sese à justitià suà avertente dicitur: Quum averterit se justus à justitià sua, faciendo iniquitatem moritur. Justii ergò perseverantis justitia manet in seculum seculi, & ea propter nunquam deseritur. At hominis ante Justii, sed sese postmodum à justitià per peccata gravia avertentis, illius justie facta non commemorabuntur amplius. Responsionis hujus veritas ex Psalms propositione patet *v. 1.* quæ agit, de beatitudine viri, sive cujuslibet timentis Dominum *איש ירא את יהוה* illius viri perseveranter timentis Dominum, & in mandatis ejus valdè se delectantis

כבוד

וְאֵין **וְאֵין** illius inquam viri iustitia manet in seculum. Quæ verò
 consequentia: iustitiam Dominam, & in mandatis ejus se de-
 lectantis, iustitia manebit, ergò nulla ratione justus potest deserere
 illam iustitiam. Id autem fieri posse exemplis probatissimis supe-
 rioribus disputationibus demonstratum fuit. Nam sicuti qui ex-
 ercet iustitiam justus est *Joh. 3. v. 7.* ita qui non exercet iustitiam,
 neq; diligit fratrem, non est ex Deo, id est, non est justus *v. 10.* sub-
 sumo: David homicida & adulter non exercuit iustitiam neq; di-
 lexit proximum. Ergò non fuit aliquandiu temporis ex Deo i. e. non
 fuit justus. Manet ergò verissimum, psaltem loqui de justo qua tali.
 Hinc verò inferre, talem justum nunquam ad tempus posse iusti-
 tiam deserere minimè sequitur, ut ex dictis patet. Urget verò Wen-
 delinius nonnullorum nostratum exegetin verba: *iustitia iusti ma-
 net in seculum*, de præmiis in vitâ aternâ reddendis, exponentium.
 Unde infert justum finaliter non excidere Resp. Justum electum,
 finaliter non excidere, aliquoties concessum, eundem tamen ad
 tempus gratiam Dei perdere, ac fidem amittere posse, in præceden-
 tibus satis superq; probatum. Ad quæ si Wendelin. solidè re-
 sponderit, herbam ipsi in obtenta victoria signum dabimus.
 10. 5. Producit *Psalm. 125. v. 1.* Qui confidunt Jehovæ similes
 sunt monti Sion, qui non dimovetur. Sic *Proverb. 10. v. 30.* justus
 in æternum non commovebitur. Unde ita infert. Si qui Jehovæ
 confidunt, instar montis Sion non dimoventur, sed in seculum per-
 manent, nec in æternum commoventur: sequitur nec totaliter,
 nec finaliter eos deficere. At verum prius. Ergò & posterius. Re-
 spon. Benefeldus Professor Oxoniensis hunc locum *cap. 10. p. 193.*
 exponit, de Ecclesiæ perpetuitate & duratione, & inde concludit
 Ecclesiam in hac vita deleri impossibile esse. Stante hac explica-
 tione, à quâ Calvinus in h. l. non est alienus, nihil contra nos con-
 cluditur. Nulla enim consequentia: Ecclesia perpetuò manebit,
 ergò nullum Ecclesiæ membrum, potest deficere. Deinde bene
 notandum Psalmum loqui de **וְאֵין** **וְאֵין** de confiden-
 tibus Jehovæ, illi quæ & quæ diutales, comparantur monti Sionis
 qui non commovebitur: Hinc tamen non licet inferre. Ergò ad
 tempus

tempus gratiam Dei amittere non possunt, Ipse *Wendelin.* p. 267, fatetur electos posse in vitem alienam denegare & labruscas Uvarum loco proferre. Ex fructibus igitur agnoscitur arbor *Luc. 6. v. 44.* Dum ergo electi aliquamdiu temporis fructus malos, utpote adulterium voluntarium, homicidium malitiosum, idololatriam pessimam ferunt, non possunt censerī arbor bona, & per consequens gratiā Dei exciderunt, bonitas quippe arboris, ex fructibus cognoscitur. Nam *id dicitur* non potest, arbor bona fructus malos facere *Matth. 7. v. 18.* comparatio itaq; confidentium Jehovæ, ac montis Sionis, non est ultra collationis tertium extendenda. Fieri enim posse, ut qui confidunt Jehovæ, perversitate sua à fide Dei, ut Musculus loquitur in h. l. declinare queant v. s. expressè testatur. Et quid tandem in re planā opus verborum circuitione? Testantur adversarii locum hunc agere de fide rara, ut loquuntur electorum. Nihil ergo aliud concluditur, quam electos finaliter gratiā Dei non excidere. Id ipse fatetur *Calv. in h. l.* dicens: quia sub Dei custodia frustra impetitur eorum Salus, salutem excidere non poterunt, etiamsi labascant. Quod nostram thesin non impugnat.

ii. Regerit *Wend.* p. 166. Justos semper confisuros è textu planum esse, alias monti Sion similes non essent, nec verè dici possent in æternum non commoveri. Et si commoverentur, promissionem illusionis esse plenissimam. Respondi: Paulò antè dictum, comparisonem justorum & montis Sionis, non esse extra comparisonis tertium extendendam. Salomon enim justus fuit, & tamen fatente ipso *Wendelin.* ita commotus p. 275, ut extra omne dubiū tam gravissima ejus fuerint peccata, adeò ut de salute quoq; ejus inter Doctos multi, ut Tertul. Basil. Cyrill. Nyss. Bernh. Isidorus, Chrysostr. dubitarint. p. 277. agnoscit Salomonis fidem vehementissimè labefactatam, & pietatem enormiter lasam, ita ut Spiritus à carne victus sit. Nec immeritò: voluntariū enim idololatra, qui se ad Idololatriā, (ut verba *Wend.* habent) societatem pertrahi passus est, cujus cor ita inclinatum fuit, ut relicto verò Deo, alienos Deos plures secutus sit, quomodo illius fides non planè ad tempus commoveretur? Confer quæ p. 61. 69. 70. 71. dicta sunt.

sunt. Non autem hinc sequitur, secus ac arbitratur Wend, promissio illusionis plenissima, Deus enim fidelis est qui promissit *Heb. 10. v. 23.* & licet nos increduli simus, ille tamen fidelis manet *2. Tim. 2. v. 13.* hominum ergo incredulitas, fidem Dei non facit irritam. *Rom. 3. v. 3.*

12. 6. Profert locum *Esaiæ 42. v. 3.* Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Unde ita arguit. Si Deus per peccata nostra non quassari, nec fidem scintillantem peccatorum cineribus & fumo extingui patitur, utiq; fideles, nec totaliter, nec finaliter fidem amittunt, aut deserunt. At verum prius. Ecquid enim aliud est Dei contractio, quam peccatoris desertio & abjectio? Quid aliud linum fumigans, quam fides imbecilla, & peccatorum cineribus tecta? Respond. per calamum quassatum seu ut *Oecolampadius* loquitur contractum, & linum fumigans intelliguntur peccatores infirmi, quales fuerunt publicani poenitentiam agentes *Luc. 15. v. 1. 2.* hos Christus à se non abegit, neq; ut loquitur in *h. l. Piscator*, conscientias sensu peccatorum territas adiegit ad desperationem, sed per promissionem gratiæ erexit & consolatus est. Proinde affirmante *Muscuro* in cap. hoc *Esaiæ*, tribuitur Christo se fore humanæ salutis cupidum, & à perditione filiorum hominum abhorrentem, ut neminem prorsus quantumvis contemptum & abjectum, à studio servandi reijciat. Unde *Calvinus* *Ecclesiæ* ministros, mansuetos se præbere & sustinere infirmos, & placipè ducere in viam, ne extinguant in eis igniculos pietatis hoc Christi exemplo demonstrat, posita hac verissima explicatione, quæ eventui & ipsi complemento, teste *Junio* in *Not. Bibli.* respondet *Matth. 12. v. 15. 19. 20* nihil contra nos concluditur. Quæ enim sequela: Christus tantæ est mansuetudinis, ut quosvis ad se accedentes infirmos peccatores, corda contrita & humiliata non reijecerit, sed gratiam suam omnibus destinatam hominibus, illis obtulerit. Ergo homines atrociter peccantes, seseq; peccatis titillantes *2. Sam. 11. v. 25* & carni frantum, ita ut spiritus succumbat. laxantes, postquam peccati cupiditatibus obediverunt *Rom. 6. v. 12.* tamen manent in Dei gratiâ, & fidem non amittunt. Unde constat diversissima esse: linum fumigans non extinguitur, & calamus quassa-

quassatus non confringitur, id est miser peccator ad Christum veniens, ab eodem non reijcitur. Et homo antea renatus, opera carnis manifesta & perfecta, destinata opera, sciens, volens, perpetrans, gratiam Dei & fidem in Christum, non amittit. Posterius ex priori non sequitur. Proinde ab affirmatione antecedentis, ad negationem consequentis, ex antecedente non deducti, nulla est firma sequela. Major ergo in syllogismo Wendelin. non loquitur de hominibus praefractè & volenter adhuc peccantibus, ac peccatis se detestantibus, sed de peccatoribus delicta sua agnoscentibus & ad Christum medicum confugientibus. Sic David tempore voluntarii adulterii, & malitiosi homicidii, non fuit linum fumigans, & calamus quassatus, quia per integrum ferme annum impenitens mansit, & commissum peccatum grande & enorme non agnovit. Idem David audita Nathanis concione, 2. Sam. 12. v. 7. factus est linum fumigans & calamus quassatus, quem Deus certè non confrigit, sed Davidem, insignem licet ante peccatorem, poenitentiam agentem in gratiam recepit. Hæc quia sese ita revera habent, miramur certè audaciam Benefeldi p. 230. de hoc loco dicentis. Huic argumentationi, ne Unus quidem adversariorum quicquam opposuit, sed non opus est Benefeldè, rei minus solidæ, sicuti est hæc obiectio, aliquid opponere, cum per se facile corruat; à diversis namque nulla est solida illatio, ut ex hæcenus dictis patet.

13. Excipit Wendelin. p. 167. fieri non posse, ipsos homines renatos excidere Dei gratiâ, quia linum fumigans extingui nequit, nec calamus confringi, nisi Deus gratiam subtrahat: quam si subtrahat, calamus quassatum confringere & linum fumigans extingui merito diceretur. Responsio ex ante dictis facilis est: misero peccatori, contrito pectore ad Christum confugienti, Deus gratiam non subtrahit, voluntariè interim peccans & manifestis carnis operibus studiosè indulgens, seipsum gratiâ Dei reddit indignum, fieri enim non potest, ut fides viva cum carnis operibus perfectis subsistat. Deus ergo deserit peccatorem, malitiosè delinquentem. Non verò linum fumigans, sive infirmum in pietate nutrantem, & Christo sese associantem Matth. 12. v. 15.

14. 7. Producit locum Esa. 54. v. 19. Quamvis montes recedant, tamen

tamen benignitas mea à te non recedet. Unde ita concluditur. Si benignitas qua miserator Jehovah fideles suos complectitur, ipsis montibus & collibus est stabilior: utiq; nunquam ea à fidelibus recedet. At verum prius. Ergo & posterius. Quia verò odoratur, hæc dici à parte Dei, promissiones suas fideliter servantis, hinc autem non sequi, homines semper fore tales, ut digni sint promissionis implementatione, respondet: imò promittitur eos semper fore servos Jehovæ, quia benignitas miseratoris Jehovæ nunquam recedit. Ergo servi Jehovæ erunt perpetui. Respond. Textus fatente Calvino in hi. l. agit de Ecclesiæ stabilimento, adeo ut Universi potius orbis subversio futura sit, quam ut Ecclesia deficiat. Ostendit igitur juxta Calvinum Prophetæ fundamentum Ecclesiæ ipsis montibus firmissimis longè stabilius esse. Posita hac verissima expositione, quæ etiam est Junij in Notis Biblicis, nihil contra nos opponitur. Quæ enim sequela: Ecclesia Dei statuta semper in suo gradu. Ergo ab illis Ecclesiæ membris, qui peccati admittunt dominium, non recedit Dei benignitas? Imò inquit Wendelin. non potest recedere benignitas, qui perpetuus est Jehovæ servus. Respond. à servis Jehovæ, quæ & quam diu talibus, non recedit Dei benignitas. At verò cum illi, qui ante servi Jehovæ, sunt servi Diaboli, v. G. Salomon Idololatra, tum utiq; benignitas Dei à talibus recedit, ut suo loco plenius dictum est conf. *Matth. 6. v. 24.*

15. Ad fideles singulos cum hac promissio extenditur, nihil aliud concluditur, quam illos officio suo fungentes, habere Deum propitium. Cave hinc inferas. Ergo non possunt Deum relinquere *2. Par. 15. v. 2.* & eundem ad iracundiam provocare *Esa. 63. v. 10* fontem aquæ vivæ relinquere *Jer. 7. v. 13.* à gratiâ deficere *Heb. 12. v. 15.* promissionem relinquere *Heb. 4. v. 1.* Unde videre est, promissiones hujusmodi divinas, salutem nostram concernentes, certo modo esse restrictas, hominum obsequium simul includentes *Phil. 2. v. 17. 15. 16. c. 4. v. 19.* Quando ergo homines obdurant corda sua *Hebr. 3. v. 8.* à Deo vivente deficiunt *6. 3. v. 12.*

16. 8. Profert dictum *Esa. 59. v. 21.* Spiritus meus & verba meæ quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo. Unde sic sunt: dit: A quorum ore Spiritus & verba Jehovæ nunquam ii nec

ii nec totaliter nec finaliter Spiritum Jehovahæ amittunt aut defecerunt. Atqui à fidelium ore Spiritus & verba Jehovahæ nunquam recedunt. Ergò. Respond. argumentum hoc ejusdem valoris cum præcedente, juxta Junium enim in not. Bibli. continetur hic promissio elegantissima Spiritus Dei & Christi, mansuri in aeternum cum Ecclesia ejus: vel ut Calvinus loquitur in hujus dicti expositione promittit inæstimabili hoc bono (Spiritu sancto) Ecclesiam nunquam privatim iri, quin Spir. sancto regatur & fulciatur doctrina cœlesti. Jam collige terminos Wendeline: Ecclesia Christianon privatim Sp.S. ergò hic vel ille, in Ecclesia illa vivens voluntariè opera carnis perfecta cõmittens & sese Sp.S. opponens, habet fidem Dei quæ gratiam. Id perinde esset, ac si quis ita inferret: Ecclesia Judaica tempore Davidis & Salomonis, non privata fuit Spiritu sancto. Ergò David non fuit voluntarius adulter & malitiosus homicida, neq; Salomon perfidus Idololatra. Quia verò non obstante voluntario & malitioso Davidis peccato, & perfidia Salomonis pessima, Ecclesia nihilominus retinuit Spiritum S. non aliter, licet hic vel aliis renatus per peccata malitiosa gratiâ Dei excidat, id nihil Ecclesie Christi detrahit, quæ semper est & manet Sponsa ejusdem, ita tamen, rectè monente Oecolampadio in Esaiam, quatenus Spiritu Dei regitur, & Spiritui Dei attendit. Ipsi ergò renati quatenus à spiritu Dei reguntur, ac regimen illius sequuntur, neq; malitiosè obnituntur, gratia Dei non excidunt, Gal. 5. v. 16. quatenus verò seposito Deo, ejusq; sancto præcepto, Diabolo pessimè obtemperant, omniaq; Deo adversa volentes & malitiosè committunt, illius utiq; gratiam perdunt & amittunt Rom. 8. v. 13. 1 Joh. 3. v. 8 10.

17. Regerit: à quibus Spiritus Jehovahæ nunquam recedit, non possunt fieri perfidi. Resp. Si hoc intelligatur de Christi Ecclesiæ vocem sponsi audiente, illiq; obtemperante id quod asseritur concedimus. Quid autem hoc ad thema controversum? Reponit, si des à parte fidelium non requiritur ut conditio, sed effectus est promissionis divinæ. Respond. Subordinata malè opponuntur.

inde effectum esse alicujus rei, non negat conditionem. Extra omnium: fides est opus Dei Joh. 6 v. 19. Unde dicitur fides
 tñs àvèq; tñs Oeæ operationis Dei Col. 2. v. 12. Et tamen
 veriffi-

verissimum est : Si manseris in sermone *Job. 8. v. 3.* id est, si credis
Act. 8. v. 37. eris discipulus, salvaberis &c. Item : ut exhiberet vos
 sanctos, si permanseritis in fide *Col. 1. v. 23.*

18. 9. Ex *Jer. 32. v. 40.* ubi dicitur : Pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis benefaciendo ipsis : & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me, hunc in modum concludit. A quibus se Deus nunquam avertit, quorum animis indit reverentiam sui, ut ab ipso nunquam recedant : nec totaliter, nec finaliter deficiunt. Atqui à fidelibus nunquam se Deus avertit, ipsorumq; animis indit reverentiam sui, ut ab ipso nunquam recedant. Ergò. Respond. contextus testatur sermonem esse consolatorium, ad electos in populo Dei residuos directum, de illis asserente ipso *Zanch. Tom. 7. p. 241.* dicitur, quod finaliter se non avertant, quod confirmat *Zohn. Art. 28. in A. C. p. 772.* Quæ verò consequentia: Electi finaliter non excidunt Dei gratiâ. Ergò ad tempus gratiâ Dei nullo modo excidere possunt? Ipse *Calv.* locum *Jerem.* ita exponit, ut si verba spectes, nostræ sententiæ accedat *p. 218.* ita loquitur : notandum sic inflexiblem perseverantiam fidelibus dari, ut *etiamsi labantur statim* respiscant. Ergò non obstant *interruptiones* &c. Item : nunc autem etsi claudicamus, deinde *desectimus sepe à via* &c. Hæc *Calvin.* Et eò collimat *August.* à *Wend.* allegatus *libro 2. de Bono perseverantiæ cap. 2.* perseverantiam promisit Deus *Jer. 32. v. 40.* Et *cap. 3.* inquit : cum enim jam facta sit voluntas Dei in sanctis, cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo, quod esse caperunt. Item : Sancti perseverantiam demonstrantur orare : quoniam nemo pervenit ad illam summam, quæ in regno est beatitudinem, nisi in ea sanctitate quam sumpsit in terrâ, perseveraverit usq; in finem.

19. *Augustinus* itaq; à *Wendelin.* citatus eundem non juvat, quamvis enim *Augustin.* & nos cum illo, electos finaliter non perire affirmemus. Hinc tamen non sequitur, ad tempus peccatis indulgentes, gratiam eos amittere non posse : illud enim possibile esse *August.* *Tom. 7. Libr. de corrept. & Grat. cap. 7.* fides quæ per dilectionem operatur aut omnino non deficit : aut

si qui sunt, quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, & deleta quæ intereurrerat iniquitate usq; in finem perseverantia deputatur. Et *cap. 9.* nullus eorum qui ordinati sunt ad vitam æternam ex *bono in malum mutatus*, finit hanc vitam: *p. 796.* Apostolus sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usq; in finem non permanere, mox addidit: his qui secundum propositum vocati sunt. Hi enim in eo, quod diligunt Deum permanent usq; in finem, & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usq; in finem perducant, quod in bono esse ceperunt. *p. 798.* de Petro ait: avertit ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus, ita ut eum mori pro illo metuens ter negaret, sed rursus convertit ad eum faciem suam Dominus, & culpam lacrymis diluit. Quid est enim aliud: Respexit eum: nisi faciem suam, quam paululum ab illo averterat, revocavit ad eum *cap. 10.* Nemo ergo dicat: non esse corripendum, qui exorbitat de *via justa*, sed ei reditum & perseverantiam à Domino tantum esse postcendam. Ex hisce ergo liquidd constat finalem perseverantiam, cum lapsu temporali optime posse subsistere.

26. Regerit *Wend. p. 174.* Deum reverentiam sui animis electorum ita indere, ne ab eo unquam recedant. Resp. de finali recessu concedimus, de temporali autem negamus. Exempla enim superioribus disputationibus allegata, contrarium luculenter ostendunt. Neq; metuendus est Pelagianismus, si quis dicat: electum ad tempus gratia Dei excidere posse. Homo enim licet non habeat liberum arbitrium in bono, habet tamen proh dolor, liberimum in malo. Et licet Deus secundum Apostolum det velle & perficere *Phil. 2. v. 13.* Novimus tamen homines, divinæ huic voluntati sæpius recalcitrare & obicem Deo ponere. Hinc Dei querelæ: volui vos congregare: Tu noluisti. Elegistis quæ non volui deservistis consilium meum, vocavi & renuistis &c. Proinde divina promissio ita est consideranda, ne nostra obedientia, quæ simul in illa promissione requiritur, negligatur. August. quidem recte orat: Da Domine, quod jubes & jube quod vis. Quod si autem electus, in oratione quandoq; ita segnescat, ut caro contra spiritum victoriâ, sicuti tristissima exempla testantur, obtineat: tum quod

quod Deus non det, quod jubet, culpa non ipsi Deo dare paratissimo, sed homini munus oblatum repudianti imputanda. Homo enim in tali casu, potius Diabolo quam Deo auscultat. Licet ergo quod perseveremus in gratia à Deo solo sit: quod autem gratia illa excidamus, illud non Deo, sed Diabolo instiganti *1. Par. 21. v. 1.* Carni titillanti *Rom. 8. v. 13.* & homini consentienti *2. Sam. 24. v. 1.* imputandum. Agnoscit id Sathivius *cap. 11. De Carb. Eccl. partibus naturâ & sede* ita Bellar., respondens: Christus ab Ecclesia turpitudinem removere conatur, licet propter carnis infirmitatem Sponsa non semper ipsi aurem præbeat, & fatetur ibidem, multos abjecto Christi jugo & fidei disciplina, in turpissimos errores incidisse, & à Christo prorsus defecisse, quæ omnia Thesin nostram hactenus defensam, dilucidè confirmant.

21. 10. Ex *Hose. 2. v. 19. 20.* Desponsabo te mihi in seculum, justitia judicioq; & benignitate ac misericordia: & desponsabo te mihi fide, ut agnoscas Jehovam. Unde ita concludit. Quos Deus sibi in seculum desponsat justitiâ, misericordiâ & fide ut agnoscant eum: ii à Jehovah nec totaliter, nec finaliter deficiunt. At Electos suos desponsat sibi in seculum, justitiâ, misericordiâ. Ergo. Respond. Junius in Not. Biblicis locum hunc exponit, de tota Ecclesia. Quod suo calculo confirmat Zanch. hujus loci commentario inquit: mihi dabitum non est, propter verbum *desponsabo*, quin hic Propheta vaticinetur de connubio, quod futurum erat inter Christum & Ecclesiam. Stante hac verissima explicatione, nihil contra nos solidi concluditur: Quæ enim consequentia: Deus sibi desponsavit Ecclesiam, quæ perpetuo duratura est. Ergo nullum illius Ecclesie membrum, potest fidei facere naufragium *1. Tim. v. 19.* & à propria stabilitate excidere *2. Pet. 3. v. 17.* Spiritu incipere, & carne consummari *Gal. 3. v. 3.*

22. Respondet Wend. *p. 177.* ab universa Ecclesia ad singula ejus membra optimâ esse consequentiam, quia singulorum Ecclesie membrorum, & Universæ Ecclesie causæ conservantes eadem, sint, quodq; Universæ, inquit, promittitur Ecclesie, id etiam singulis ejus veris ac genuinis membris promittitur. Imo Universæ Ecclesie stabilitas, singulorū electorū præsupponit stabilitatem. Respond.
Causæ

Causæ conservantes Ecclesiam, in membris & ipsa Ecclesia tota, à parte Dei eadem sunt, at à parte hominum magna hic conspicitur diversitas, dum illorum quidam se à fide subducunt, & fiduciam priorem abiiciunt *Hebr. 10. v. 34. 35.* Potest enim homo sibi relictus à Diabolo ita seduci, ut verò Deo relicto, Diabolum sequatur, quod trîstissima exempla, prioribus disputationibus allegata, testantur. Diversissima igitur sunt: Ecclesiæ stabilitas, contra quam portæ inferorum non prævalebunt *Matth. 16. v. 18.* & singulorum electorum stabilitas, qui ad tempus peccatis indulgentes, gratiam semel possessam amittere possunt. v. G. Salomone in Idololatriam voluntariam labente, ad tempus ille à fide verâ excidit: nullus enim idololatra, & imprimis voluntarius, tot & tanta beneficia à Deo accipiens, retinet fidem, ut in præcedentibus satis inculcatum. An ne propterea cadente Salomone, tota Ecclesia lapsa est? Ergò à desponsatione totius Ecclesiæ, ad singulorum in Ecclesia existentium gratiam, non est firma consequentia.

23. At inquit contradictio est: fide desponsatum esse in æternum, ac reverentiam Dei perpetuam animo habere inditam: & à fide totaliter deficere, à Deo recedere &c. Respond. diversus respectus tollit omnem oppositionem. Desponsatio cum Ecclesiâ est indubitata & certa, si quis est in Ecclesia, qui peccatis indulgens hanc desponsationem à sua parte violet, vel ut concedit Wendel. fidem peccatis suis graviter labefactet, tum desponsationem hanc spiritualem, homo talis dissolvit, irritamq; reddit, & spiritualiter meretricatur, quâ de re conqueritur Jehova *Esa. 1. v. 21. Jer. 3. v. 1.*
& seqq.

24. Distinguit Wendelin. inter desponsationem externam & internam. Externè etiam reprobos sibi ad tempus desponsare. Deum, quos nempe ad visibilis Ecclesiæ cætum externè vocet, & aliquibus Spir. S. donis instruat. Internè solos electos sibi Deum desponsare. Quæ interna desponsatio non permittat, renatos & electos fidem fallere. Respond. internam desponsationem non permittit, homines semel in gratiâ constitutos, eadem excidere, gratis, sine solido fundamento, dicitur. Expressè enim dicitur: urbs fidelis meretrix facta est, & plenissima jure, in qua justitia pernoctabat, hæc nunc homicidarum plena esse *Esa. 1. v. 21.*

25. Rege-

25. Reperit; Urbs fidelis quoad externam fidei professionem & desponsationem meretrix potuit fieri, respectu hypocritarum, qui à fidei professione defecerunt. Respond. hypocrita jam antementem à Deo habent averfam, quippe labiis tantum externis illum, corde procul remoto, colentes *Esa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 8* proinde de illorum apostasia Deus principaliter, non agit. Si enim salutem aeternam, ejusq; adipiscendi rationem considero, pari passu ambulant: hypocrita & Idololatra: utriusq; enim pars erit ibi, ubi ploratus & stridor dentium *Matth. 24. v. 51. Apoc. 22. v. 15.*

26. Textus itaq; principaliter loquitur de iis, qui fideles fuerunt & justii, & à fide illa & justitiâ defecerunt. Id enim est caput querelæ ipsius Prophetæ Esaiæ. Unde sub initium capitis primi inquit: filios eduçavi, & extuli, ipsi autem deficientes, rebella verunt in me, & dereliquerunt Jehovam. Quia ergo antè fuerunt filii fuerunt verè in gratia Dei *Job. 1. v. 12* jus enim filiationis, solis in Christum credentibus tribuitur *Gal. 3. v. 26*. Et qui derelinquunt Jehovam, illi antea adhæserunt eidem. Et qui ex fideli fit meretrix, ex justo injustus, ille utiq; ante suum prolapsum, non fuit hypocrita, prius dicit Prophetæ Esaias. Ergo.

27. Testatur idem *Jer. 6. 3. v. 7. 8. 9.* quando Ecclesiam Judaicam spiritualiter fornicantem, ita alloquitur: revertere averfa Israël, revertimini filii averfantes, ubi simiditer non alloquitur hypocritas, qui ab externa fidei professione defecerint, sed ut ex *cap. 2. v. 21.* patet, loquitur de iis qui antè fuerunt vitis generosa, semen fidele, quod mutatum sit in degeneres palmites vitis alienæ. Quem locum ipse Wendelin. *cap. 31. p. 265.* de electis exponit. Immutata igitur hæc veritas manet: posse renatos internam etiam, fidei professionem & desponsationem peccatis gravissimis perdere, quando Deum monentem, ut Junius loquitur in *Not. Biblic. ad locum Esa. 1.* non audiunt, sed in procacissimam spiritualem meretricem degenerant. Illud verò factum esse, Scopus utriusq; Prophetæ ad oculum demonstrat. Si quis verò Wendelin. secutus textum de externa desponsatione, respectu hypocritarum, ab externâ fidei professione deficientium acceperit, omnem vim querelæ Prophetarum, quantum in se est tollet. Tùm enim hic sensus esset: Ego Jehova Urbem habui fidelem, in qua hypocrita habentes pietatis

X

μὲρ Φο.


ἡγοροῦσιν ab externâ fidei professione deficientes, idololatræ facti
 sunt. Putasne Wendeline hanc causam satis gravem fuisse, Esaiam
 coelum & terram, testem quasi vocare, ex eo, quia hypocritæ facti
 sint Idololatræ? Num Deus in tantum probat hypocrisim, ut hypo-
 critæ conditio melior sit, quàm Idololatræ, legistine quid Pareus
 tuus in cap. 3. Apoc. commentetur; Frigidi, id est ex professo alieni,
 levius peccant in Christum, quam hypocritæ: quoniam gravius
 est, veritatem agnitam non sequi, quàm à non agnita alienum esse.
 Alieni enim plerunq; , quòd ad media attinet, facilius ad verita-
 tem adduci possunt, quam hypocritæ. Et quanto odio detestetur
 Deus hypocrisim, indicat Esaias cap. 58. v. 2. Et Christus ob hypo-
 crisim, passim arguit Phariseos *Matth. 23. v. 13. 14. & seqq.*
 28. 11. Ex *Matth. 24. v. 24.* ubi dicitur: Surgunt Pseudo Christi,
 & Pseudo Prophetæ, & edent signa magna ac miracula, ita ut sedu-
 cant. si fieri posset, etiam electos. Hinc ita arguit. Quos impos-
 sibile est seduci: in nec totaliter, nec finaliter possunt seduci. At
 electos impossibile est seduci. Ergò: Unde concludit: manifestum
 & in factis confessum esse: electos non posse seduci, id enim Chri-
 stum expressè dicere. Respond. nôsti Wendeline electos, de quibus
 præfens hic locus tantum agit, finaliter nô posse gratiâ Dei excide-
 re, sapius concessum esse. Nihil aliud ergò probatur, quàm ob sci-
 entia divina infallibilitatem 2. *Tim. 2. v. 19.* electos gratiâ Dei fina-
 liter non excidere, id est, non damnari. Nam non repulit Deus po-
 pulum suum *ov. 2. 2. 2. 2.* quem cognoverat *Rom. 11. v. 2.* finaliter
 crediturum 1. *Tim. 1. v. 16.* Quæ verò sequela: electi finaliter non per-
 dunt gratiam, ergò nunquam ad tempus perdunt. Negatio itaq; de-
 defectus finalis, non infert negationem defectus temporalis. Annon
 enim Salomon voluntarius Idololatra, David malitiosus homicida,
 ad tempus gravissime errarunt & ita seducti. ? vide quæ suo loco
 hac de re dicta sunt Sed urget Wend. *p. 133.* pharisi, qua negat Chri-
 stus electos posse se seduci Resp. de seductione finali, Christus id re-
 ctiissime negat, de seductione verò temporali, est quaestio, an electi
 qui finaliter seduci non possunt, an illi temporaliter, quando à pec-
 catis superantur, seducantur, id prævia Scriptura affirmatus. Im-
 mota enim veritas est: quisquis superatur à peccato, ille est servus
 peccati


peccati. 2. Pet. 2. v. 19. Qui est servus peccati, ille liber est à justitia Rom.
 6. v. 20. Hinc immotè sequitur, quoties renati & electi superantur à
 peccato, vel ut verbis Wend. utamur, quoties spiritus carni succum-
 bit ut ait p. 300. vel à carne vincitur in regeneratis, sicuti largitur p.
 278. toties eos ad tempus seduci Et sic absurdum non est, deceptio-
 nis efficaciam electis ad tempus prævalere. Nec invicem pugnant:
 perseverantia electorum finalis: & seductionis efficacia tempora-
 lis. Summa: Electi qui finaliter seduci nequeunt, temporaliter
 ita saepe seducti sunt, ut omnem Dei gratiam amiserint. Et
 largitur hoc Wendelin. dum electos in errores duci posse conce-
 dit. Ludit autem in voce: *penitus*, dum inquit: at *penitus* seduci
 posse cum Scripturâ merito negamus. Proinde vox *penitus*, vel ad
 errorem refertur finalem. Et consentimus, electos hoc modo er-
 rare non posse, vel errori accommodatur temporali, tum utiq; *pe-
 nitus* ad tempus, quando à peccato superantur electos in errorem
 duci posse, concludimus. Et in hoc seductionis temporalis casu,
 sicuti peccatum potentius, prævalet ad tempus spiritui: ita sedu-
 ctionis efficacia ad tempus, longè potentior. Quod tamen absur-
 dum esse arbitratur loco allegato p. 183. Wendelinus, qui ipse ta-
 men concedit in regeneratis spiritum à carne saepe vinci. Unde re-
 ctè colligimus. Quicquid vincit alium, id illo est potentius. At caro
 sive efficacia seductionis, vincit alium. Ergò caro sive efficacia se-
 ductionis est potentior, quod contra negantem Wendel. erat de-
 monstrandum.

29. 12. Ex Job. 3. v. 36. Qui credit habet vitam æternam sic &
 v. 16. Qui credit in eum, non perit, sed habet vitam æternam & Job.
 6. v. 47. Qui credit in me habet vitam æternam. Unde sic infert.
 Qui vitam æternam habet, nec totaliter nec finaliter deficit. At qui
 credunt in Christum vitam æternam habent. Ergò qui credunt in
 Christum, nec totaliter, nec finaliter deficiunt, Respond. confundit
 Wendelin. jus ad rem, & possessionem in re. Verillimum est, qui in
 Christum credit, illum vitam habere æternam, ratione juris, non
 verò ratione actualis possessionis. Quia Deus in Christum creden-
 tibus dedit vitam æternam 1. Job. 5. v. 17. illud quoq; si in fide stabiles
 pernanebunt, nec à spe Evangelii dimovebuntur Col. 1v. 23. & fi-
 duciam

duciam ad finem usq; firmam tenebant *Heb. 3 v. 6.* actualiter suo tempore possidebunt. Quod si verò huic prole introducto favori renuntiabunt, & post tergum respexerint *Luc. 9. v. 62.* praesens seculum amplectentes. *a. Tim. 4. v. 10.* & à Deo vivente desciscentes *Heb. 3. v. 12.* tum jus illud ad vitam aeternam amittunt. Quisquis enim perseverabit usq; ad finem, ille demùm salvus fiet, ratione plena, vitae aeternae fruitionis *Matth. 10. v. 22. c. 24. v. 11.* Quia ergò in Christiano, non tam initium, quam finis laudatur, proinde exitus acta hoc in casu probat, & in fine videtur cujus toni.

30. Major itaq; in syllogismo Wend. Scripturà pravià ita distinguenda: Qui vitam aeternam habet ratione actualis possessionis, ille nec totaliter nec finaliter deficit. Tum minor de multis *αὐτοῖς* ad tempus verè credentibus, & tempore tentationis deficientibus *Luc. 8. v. 13.* falsa est. Sed urgetur pronunciatum Christi: qui credit habet vitam aeternam. Respond. addenda explicatio ipsius Christi, nam ille optimus sui ipsius interpret *Matth. 24. v. 13.* qui perseveraverit usq; ad finem hic salvus erit. Qui ergò perseveranter credit habet vitam aeternam, non tantùm ratione juris, sed suo tempore, ratione actualis possessionis. Regerit Wendelin. Quis quæso eum vitam aeternam, habere dicat, qui hodie vivit, cras moritur. Respond. vita aeterna sive regnum Dei, dicente Apostolo, est justitia, & pax & gaudium in Spir. S. *Rom. 14. v. 17.* illius rei initium, & quasi gustum aliquem, habent in hac vita quotquot in Christum, credunt. Justificati enim pacem habent *Rom. 5. v. 1.* Quando ergò *αὐτοῖς* in Christum ad tempus, dicente Scriptura, credunt, tum utiq; ratione juris & initii, habent vitam aeternam, sentiunt pacem & tranquillitatem conscientiae, ob peccata enim in iudicio Dei non accusantur. Et quamvis ratione perseverantiae destituantur radice, ad tempus tamen credunt, & cum gaudio sermonem suscipiunt, observato duplici illo vitae aeternae respectu, tum & facta consideratione, Christum allegatis à Wendelin. locis, loqui de fide perseverante, argumentum, cui multum videbatur tribuere, nervis, ut quilibet videt destituitur. Quod ulterius cum Deo in subsequendis dictorum Scripturae resolutionibus, plenius monstrabitur, hac vice igitur concludimus, & soli Deo gloriam tribuimus.





25. Regerit: Urbs fidelis quoad externam fidei p
& desponsationem meretrix potuit fieri, respectu hy
qui à fidei professione defecerunt. Respond. hypocri
mentem à Deo habent averfam, quippe labiis tantum
lum, corde procul remoto, colentes *Esa. 29. v. 13. Matth.*
inde de illorum apostasia Deus principaliter, non agit
lucem æternam, ejusq; adipiscendi rationem consider
ambulant: hypocrita & Idololatra: utriusq; enim par
ploratus & stridor dentium *Matth. 24. v. 51. Apoc. 22. v.*
26. Textus itaq; principaliter loquitur de iis, qu
runt & justii, & à fide illa & justitiâ defecerunt. Id eni
querelæ ipsius Prophetae Esaiæ. Unde sub initium cap
quit: filios educavi, & extuli, ipsi autem deficientes, reb
in me, & dereliquerunt Jehovah. Quia ergò antè
fuerunt verè in gratia Dei *Job. 1. v. 12* jus enim filiat
Christum credentibus tribuitur *Gal. 3. v. 26*. Et qui d
Jehovam, illi antea adhæserunt eidem. Et qui ex fide li
ex justo injustus, ille utiq; ante suum prolapsus, non f
ta, prius dicit Propheta Esaias. Ergò.
27. Testatur idem *Jer. 6. 3. v. 7. 8. 9.* quando Ecclesia
spiritualiter fornicantem, ita alloquitur: revertere ave
vertimini filii averfantes, ubi similiter non alloquitur
qui ab externa fidei professione defecerint, sed ut ex
patet, loquitur de iis qui antè fuerunt vitis generosa, se
quod mutatum sit in degeneres palmites vitis aliena
cum ipse *Wendelin. cap. 31. p. 265.* de electis exponit.
tur hæc veritas manet: posse renatos internam etiam, f
sionem & desponsationem peccatis gravissimis perde
Deum monentem, ut Junius loquitur in *Not. Biblic. ac*
1. non audiunt, sed in procacissimam spiritualem mer
generant. Illud verò factum esse, Scopus utriusq; Pro
culum demonstrat. Si quis verò *Wendelin. secutus*
externâ desponsatione, respectu hypocritarum, ab e
professione deficientium acceperit, omnem vim quere
tarum, quantum in se est tollet. Tùm enim hic sensu
Jehova Urbem habui fidelem, in qua hypocrita habe

